

Thomas Lindemann Joachim Albinus

Disputatio De Tutelae Propriis Eiusque Cum Cura Communibus

Rostochii: Praelo Reusneriano, 1607

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728318121>

Druck Freier  Zugang



Thom. Lindemann (Josach. Albinus) 1a

R. U. in 1607.



DISPUTATIO
De
TUTELÆ PRO-
PRIIS EIVSQVE CVM
CURA COMMUNI-
BUS.

Quam

AUSPICE DEO TRINUNO,
Præside

Clarissimo ac Consultissimo viro

DN. THOMA LINDEMANNO
J. V. D. ac Professore Ordinario,
In Alma Rosarum Academia

Publice examinandam proponit

JOACHIMUS ALBINUS
Rostochiensis.

*Ad diem 28. Februarij in Actoasi magna initio
hora 6. matutina facta.*



ROSTOCHII,
Prælo Reusneriano, Anno 1607.

*Humanitatis
de Doct
vno Dno
Professo
J. V. D.
viximus
in vno
colendo
namque*

1679
578



*Magnificis, Amplissimis ac Consultissimis
Viris,*

DN. HAIONI A NESSA,
Dn. BARTHOLOMÆO CLIN-
GIO, Jctis præstantissimis, Cancellario, Con-
filiario Illustris, Principum ac Ducum Me-
gapolensium dignissimis, Academiaꝝ; Ro-
stochiensis Professoribus ordina-
riis ac celeberrimis,

Nec non

Clarissimis Politissimis & Humanissimis viris;

DN. HERMANNO LEMMICHIO,
DN. JOANNI GROTEN;
Patritiis Rostochiensibus prima-
riis ac optimis,

*Domini Patronis, Mæcenatibus, Præceptoribus ac Affinibus suis
omni observantia cultu prosequendis*

Publicam hanc *ἀνεκτον* juridicam

Observantia ac gratitudinis ergo

Offert,

Dicat,

Consecrat.

JOACH. ALBINVS,
Respondens.

Universität
25 Rostock
Universitätsbibliothek
Rostock
Wilhelm-Pick-Universität



Thesis I.



Utela, desiniante Servio, est vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui per ætatem se defendere n̄quit, jure civili data ac permilla.

II.

Est autem illa triplex vel Testamentaria quæ testamento, vel Legitima quæ lege, vel Dativa quæ dante & decernente Magistratu defertur.

III.

Testamento vel codicillis testamento confirmatis parens ex singulari legis concessione, liberis impuberibus in sacris existentibus, tam institutis quàm exheredatis, nec non postumis qui in eadem causa essent, si vivo parente nascerentur, citra confirmationem Prætoris tutores constituit.

IV.

Si autem Pater filio emancipato tutorem dederit, datio per se non valet sed confirmatur à Magistratu sine inquisitione.

V.

Hunc vero tutorem filio emancipato ita datum & à Magistratu confirmatum dativum magis quam testamentarium esse putamus.

VI.

Quid si filiis suis Pater tutores dederit an & simul Nepotibus dedisse videatur? Negamus; Secus si Liberis.

VII.

Testamento tutores dari possunt non solū Patresfamilias sed & filii familias; quin & Servi tam proprij

prij cum libertate pura, quam alieni cum libertate
conditionali.

VIII.

Imo servi proprii sine libertate testamento tuto-
tores dati directam libertatem accepisse viden-
tur.

IX.

Furiosus vel minor viginti quinque annis tutor te-
stamento datus tutor tunc erit quum compos men-
tis, aut major viginti quinque annis fuerit factus.

X.

Si vero ante vigesimum quintum annum tutelam
dolo se acceperit, & tutelam gesta nomine convenia-
tur, in integrum restituendus non erit.

XI.

Mutos, Surdos, ut ad auctoritatem interponen-
dam inhabiles, tutores esse posse negamus.

XII.

Similiter Militem etiam volentem ad tutelam offi-
cium non admittimus.

XIII.

Ad certum tempus, vel ex certo tempore, vel sub
conditione vel ante heredis institutionem testamen-
to posse dari tutorem non dubitatur.

XIV.

Certae autem rei vel causae tutor dari non po-
test, quia personae non causae vel rei tutor datur.

XV.

Testamentaria tutela deficiente, olim Agnatis
Legitima deferebatur: Hodie tamen sicut una cum
Agnatis

Agnatis succedunt cognati, ita jure Novell. tutelæ
quoq; curam simul partiuntur.

XVI.

Verum cum in aurea Bulla Caroli IV. cautum sit,
ut proximus Agnatus tutor & administrator Heredi
Electoralis impuberi vel minori usq; ad annum æ-
tatis XVIII. constituatur, an hoc jus ipsi per testa-
mentum auferri possit, quæritur? Nos Testatorem
hoc facere posse Negamus.

XVII.

Fœminis tametsi regulariter tutela non commit-
tatur, Mater tamen & Avia præsertim hodie, licet
pupilli Creditrices vel debitrices sint, cuius etiam
tutori legitimo præferuntur.

XVIII.

Quo casu specialiter secundis nuptiis & omnibus
aliis legum beneficiis ad earum favorem introductis
renunciare tenentur.

XIX.

Hoc tamen ad Patrem ad secunda vota convo-
lantem minime extendendum censemus.

XX.

Num vero mater ob secundas nuptias tutelam fi-
liorum amittens, eam secundo marito mortuo reci-
piat, quæstionis est? Neg.

XXI.

Porro deficiente testamentaria tutela, tandem da-
tivæ ultimus locus relinquitur, quæ in supplemen-
tum à Magistratu, cui hæc potestas specialiter con-
cessa est, dari solet.

XXII.

Tutoris enim dationem neq; imperii neq; juris-

ditionis esse, sed ei cui lex, SCtum, vel Princeps hoc nominatim dedit, competere Ulpianus tradit.

X X I I I.

Cum vero nisi à Iudice vel domicilii vel rerum ratione competente Tutores peti debeant, non inconcinne hoc loco controvertitur; Si pupillus ratione domicilii & rerum diversos Iudices habeat, uter illorum in tutoris dandi petitione præferri debeat? Iudicem domicilii præferendum putamus.

X X I V.

Modis prædictis tutelam legitime constitutam tutores etiam invitum cum munus publicum sit, subire coguntur.

X X V.

Prius tamen quam administrarent, necesse est, ut administratione bonorum illis à Magistratu competenti decreta, jurent, remq; pupilli salvam fore datis fidejussoribus satisfident.

X X V I.

Adeo ut quamvis ob inopiam satisfidare nequeant, nihilo magis ad juratoriam cautionem admittendi sint.

X X V I I.

Omnes insuper tutores ad inventarium rerum pupillarium conficiendum tenentur, nisi illius confectio per testatorem, ne videlicet secreta patrimonii & suspectum æs alienum pandatur, prohibeatur.

X X V I I I.

Si tamen Iudex animadvertat pupillo ob causam testatori forte ignotam expedire, ut inventarium conscribatur, quin tutor ad istius confectioem, testatoris voluntate non obstante, cogi possit non dubitamus.

X X I X.

His solennibus impletis proximū est ut ad ipsam admini-

administrationem tutores accedentes, pupillis de educatione & alimentis provideant, bona illorum conservent, augeant, & legitime expendant, auctoritatemq; in omnibus contractibus & negotiis, in quibus periculum est damno affici posse pupillam, iure interponant.

XXX.

Num autem Tutoris auctoritas ante negotium gestum interposita valeat concertant inter se Dd. Neg. idq; vel in ipso negotio vel statim post fieri debere asserimus.

XXXI.

Pupillus quando ex contractibus sine tutoris auctoritate celebratis obligetur diversæ sunt diversorū Dd. sententiæ? Nos cum ne naturaliter quidem obligari, nisi locupletior factus sit, aut doli argui possit, arbitramur.

XXXII.

Vt variis modis tutela constituitur ita etiam variis modis rursus finitur: idq; vel ipso jure, vel sententia Iudicis accidit.

XXXIII.

Causæ quibus ipse jure finitur, aut sunt in ipsa delatione tutelæ, aut in persona pupilli, aut in persona tutoris & pupilli.

XXXIV.

In ipsa delatione tutelæ est voluntas deferentis, cum scilicet ad tempus, vel ad certam conditionem ab eo, cui ita jus dandi erat, tutor dotus est.

XXXV.

In persona pupilli pubertas, quæ in masculino decimo

eimo quarto, in fœmina duodecimo anno confide-
ratur.

XXXVI.

In persona tutoris & pupilli mors & capitis di-
minutio, hujus quidem omnis ad omnem tutelam
finiendam, illius autem maxima & media.

XXXVII.

Quamvis olim minima quoq; tutori contingens
capitis minutio legitimam tutelam peremerit, id ta-
men hodie sublatum videtur.

XXXVIII.

Sententia Iudicis finitur tutela, Tutoribus aut
volentibus aut invitis.

XXXIX.

Volentibus tutoribus, si legitimam excusationis
causam prætere valesant.

XL.

Qua non tantum testamentarios & dativos, ve-
rum etiam legitimos tutores uti posse censemus.

XLI.

Iustam excusationis causam præbet *πολυπαιδία*, ad-
ministratio fisci, absentia Reip. causa, potestas,
multitudo tutelarum, paupertas, adversa valetudo,
inimicitia capitales, controversia status, ætas &c.

XLII.

An autem literarum ignorantia excuset à tutela,
ambigitur? Aff. modo negotiorum expediendorum
imperitia accedat.

XLIII.

Legum vero Doctores nisi vel Romæ doceant,
vel in consilium principis sint asciti beneficio excu-
sationis à munere tutelari non gaudent.

Cum

XLIV.

Cum autem excusatio coram tribunali intra 50. dies continuos proponi & intra quatuor menses finiri debeat, non immerito quæritur, An etiam excusanti appellare liceat? Nos ab excusationis reiectione quam à datione rectius appellari existimamus.

XLIV.

Invitis tutoribus finitur tutela, cum tutores non ex fide in tuitione pupilli vel rerum pupillarum administratione versantes accusatione suspecti legitime intentata aut officio Magistratus à tutela remonentur.

XLVI.

Remoti vero ob dolum infames fiunt, ob culpam non æque.

XLVII.

Suspecti accusatio cum quasi publica sit, ab omnibus etiam muliere pietatis necessitudine ducta, nec sexus verecundiam egressa coram Prætoribus, Præsides, aut proconsule ejusve legato intentari potest.

XLVIII.

An autem Tutores si ante administrationem pauperes fuerint, postmodum dum administrant divites facti, ex pupilli pecunia locupletati censeantur, & proinde tanquam suspecti postulari possint, dubium moveri solet? Neg. juri magis consentanea est. *Idem de pupillis Carthaginiensis.*

XLIX.

Imo tutorem ut suspectum accusans & suspicionem non probans injuriarum actione tenetur.

L.

Administratæ tutelæ rationem hodie quidem singulis

singulis annis, jure vero Pandectarum & Codicis non nisi finita tutela reddere debent; Eoq; nomine judicio tutelæ directo in quod dolus & culpa levis venit conveniuntur.

L I.

Alia quoq; ex l. 1. 2. tab. in duplum de rationibus distrahendis, hoc est, distractis & ablatiis actio in tutorem datur.

L II.

Tutores ut directo ita pupilli contrario tutelæ judicio tenentur, quo tutoribus ad consequenda à pupillis ea, quæ propter tutelam absunt, & quæ ex officio & bona fide impensa sunt, consulitur.

L III.

Imo non tantum actione sed & compensationis exceptione tutores sumptus hujusmodi factos servare & deducere posse certo jure cautum est.

Coroll. Feud.

I.

An tutores nomine pupilli Feudum novum rectè constituent? Neg.

II.

Utrum pupillus sine tutorum autoritate Antiqui Feudi renovationem facere possit? Ut tutores adhibeantur tutius est.

III. *An*

III.

*An idem juxta l. pro officio. C. de administ. tut.
tacitam hypothecam in Feudo tutoris habeat?*

Neg.

IV.

*Num pupillus Feudum acquirere possit? Aff.
sub distinct. non enim si ad maiorem etatem vel legitimam perueniens
tunc contractibus approbet. S. feud. de feud. par. 4. l. 3. n. 5.*

V.

*An eidem ex privilegio Constantini declinare
forum judicis feudalis liceat? Neg. vid. Ludolph. Schemm. de feud. par. 4.
l. 1. n. 109. et feudo. 2. n. 40. r. 179.*

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

*Concessa aut donata ad pios & sacros usus ad
profanos converti non facile debent.*

II.

*Novella Justiniani non semper jus novum in-
ducunt.*

F I N I S.



III

Die Kunst der Buchdruckerei
in der Stadt Rostock

IV

Die Kunst der Buchdruckerei
in der Stadt Rostock

V

Die Kunst der Buchdruckerei
in der Stadt Rostock

P A P E R T A

I

Die Kunst der Buchdruckerei
in der Stadt Rostock

II

Die Kunst der Buchdruckerei
in der Stadt Rostock

F I N I S



III.

*An idem juxta l. pro officio. C. de
tacitam hypothecam in Feudo tutoris
Neg.*

IV.

*Num pupillus Feudum acquirere
sub distinct.*

V.

*An eidem ex privilegio Constanti
forum judicis feudalis liceat? Neg.*

ΠΑΡΕΡΓΑ

I.

*Concessa aut donata ad pios &
profanos converti non facile debent.*

II.

*Novella Justiniani non semper
ducunt.*

FINIS.



the scale towards document